



**A**lbertus magnæ prudentiæ & pietatis uir ca-  
nonicus Bremensis electus fuit. Is amore pi-  
etatis subinde cogitare cœpit, quâ nã ratione Chri-  
stianam religionem promouere, & idolorum cul-  
tores confundere posset. Itaq; magno animo in Li-  
uoniam profectus, eius loci incolis Christum præ-  
dicauit, & multos à superstitione uana ad uerum  
Dei cultum perduxit. Cum itaq; Bertholdus Ar-  
chiepiscopus Rigensis obiisset, ipse omnium con-  
sensu tertius eius loci præsul electus est. Cœperant  
eo tempore, anno 1250. Liuonienses armata manu  
Episcopo repugnare, atq; Christianos pessundare  
statuerant. Vnde Albertus motus finitimos Chri-

stianos in auxilium uocauit, atq; exercitu conscripto Paganis fortiter restitit.  
Durauit bellum illud per annos triginta continuos. Eo tempore Albertus in  
desesso studio subinde per hyemem exercitum renouans, uerno tempore in  
Liouoniam redijt, ac res maximas expediuit. Rigam etiã urbẽ Episcopalem  
primus mœnibus cinxit. Cũ hoc modo Germanorũ numerus in Liuonia ori-  
retur, huius Episcopi cõsilio Gladiatorum apud eos militum ordo institutus  
est. Hisce Albertus tertiam partem Episcopaliũ bonorum concessit, atque  
multis priuilegijs exornauit. Verũ postea ordo ille ob res fortiter à se gestas  
cum Episcopo controuersias habuit, atq; maiorem partem ditionis occupa-  
uit. Cum hoc modo per aliquot annos sub duobus Magistris cũ Barbaris pu-  
gnassent, tandem ordinem Theutonicorum militum sanctæ Mariæ, qui iam  
Prusiam inuaserant, in auxilium uocarunt, atq; sese ei coniunxerunt. Alb.  
Crantz. in Sax. lib. 7. cap. 12.